

continuare, sive discontinuare, quando nondum per ultimam deliberationem in suo proposito firmatus est, quia tunc est inflexibilis, ut sequenti articulo dicitur.

XII. Ad id quod dicitur de speciali motione Dei ad bonum data in primo instanti ut a speciali auctore illius naturæ, et continuata in bonis Angelis, quod debuit etiam continuari in aliis, respondetur quod illa motio continuata fuit in bonis Angelis, qui non apposuerunt impedimentum, sed voluntate deliberante voluerunt eligere quod voluntate a Deo mota in primo instanti fuerant amplexati, licet utrumque fuerit liberum, sed in primo instanti fuit liberum arbitrium a solo Deo motum, in sequenti duratione fuit ex propria deliberatione consummatum. In Angelis autem malis non fuit continuata illa motio, quia posuerunt impedimentum immediate post, divertendo per inconsiderationem defectibilem in intellectu, et per apertam, et formalem culpam in voluntate, ad aliud objectum. Et cum instatur quod illa motio si continuabatur in bonis Angelis, adhuc erat a Deo ut auctore naturæ, et sic etiam debebat in aliis continuari, respondetur quod in bonis Angelis non fuit continuata illo speciali modo Dei, ut auctoris illius naturæ sic moventis in primo instanti, sed alio modo continuata fuit quam primo data, licet circa idem objectum, et circa speciem ejusdem actus, eo quod immediate post primum instans jam voluntas erat plene sui juris, quantum ad hoc quod erat posse ex proprio imperio formare dictamen, et se movere deliberate. Et ideo motio divina etiamsi continuaretur, quantum ad substantiam actus, et identitatem objecti, tamen quoad modum debebat aliter procedere, scilicet dando locum voluntati, ut suo imperio dictamen for-

maretur, et procederet non solum ut libera quoad exercitium, et libertatem contradictionis, ut in primo instanti, sed etiam per deliberationem, et motum proprium libertate contrarietatis, et quoad specificacionem inter bonum, et malum. Unde illa specialis ratio primæ motionis, qua voluntas Angeli ita movetur a Deo quod non potest moveri a se, non est ex aliqua speciali manutentione Dei, sicut injustis quos protegit ne cadant, sed est ex ipso statu voluntatis, quia est ille actus primus omnium; et sic non est possibile quod operetur illum ex dictamine formato a se, et ex imperio sui, sed ex dictamine formato, et immisso a Deo, et consequenter ex dictamine indefectibili. Transacto autem illo primo actu, seu posito ipso, jam potest Angelus ex voluntate sua, et imperio formare dictamen, et se movere, atque deficere. Unde ille concursus, et motio Dei, jam non est ad formandum dictamen, et excitationem illam intellectus a solo Deo, sed ut formetur ex imperio voluntatis. Unde quoad hoc incipit ille influxus, et concursus esse generalis, quantum ad hunc modum, id est, non juxta modum, qui servatur in primo actu, ut sit a solo Deo, sed juxta modum qui servatur in tota vita, et operationibus sequentibus, ut scilicet fiat secundum deliberationem, et motionem voluntatis, et non ut præcise mota a Deo, licet in illa motione adhuc servetur libertas exercitii quoad contradictionem, sed non quoad contrarietatem. Quod si in illo actu post primum instans ex deliberatione voluntatis non defectuose procedat Angelus, sed continuat primi instantis meritum, tunc erit specialis Dei gratia, et motio non in eo modo quo in primo instanti movebat Angelum, sed quia movendo ad hoc ut voluntas se moveat, et deliberet,

præservat illum ne deficiat, sed ut in bono deliberate continuet, qui ante sine deliberatione, sed ex sola motione Dei libere procedebat. Unde in hoc speciale donum gratiæ Dei acceperunt sancti Angeli, scilicet donum perseverantiæ, ut in eodem perseverarent ex deliberatione propria, quo incæperunt ex motione Dei, quod aliis est negatum.

PROGRESSUS VIÆ ANGELORUM IN MALIS FUIT DUOBUS INSTANTIBUS ANTE TERMINUM, IN BONIS UNO.

XIII. Loquimur de Angelorum via, condistinguendo illam a termino in quo mali fuerunt perpetuo damnati, boni perpetuo beati: nam de isto termino, et instanti illi correspondente dicemus postea. Loquendo ergo sic de via Angelorum, certum est in malis Angelis primum instans fuisse interruptum, nec durasse toto tempore viæ: sic enim nunquam demeruisent, nec peccassent, quia in illo primo instanti boni fuerunt, ut fides docet: nec enim creati sunt in peccato, sed in gratia. Oportuit ergo viam malorum Angelorum ad minus constare duobus instantibus (omittendo pro nunc instans damnationis, an includatur in aliquo istorum, vel ab illis distinguatur) altero quo bonus fuit, altero quo bonus esse desiit, et de facto peccavit, ubicumque autem duæ operationes ita se habent, quod una non ponitur, nisi altera desinente, datur duplex instans, quia datur duplex duratio, si quidem prima non continuatur cum secunda, sed desinit esse: ergo si Angelus desiit esse bonus, illa duratio primæ operationis bonæ cessavit, et altera successit. Unde hoc generaliter S. Thomas in quæstione LXII, art. vi ad iv ubi inquit, quod: « Prima operatio fuit omnibus communis, sed in secunda sunt

distincti; et ideo in primo instanti omnes fuerunt boni, sed in secundo fuerunt boni a malis distincti. » Quod ad minus de ipsis malis Angelis intelligendum est, in quibus constat operationem bonam fuisse interruptam, et consequenter instantia divisa. De bonis autem Angelis cum fuerit meritum continuatum perseverando in eo ad quod in primo instanti conversi sunt, potest major esse difficultas an diviserint instantia circa diversa objecta bona, vel circa diversum modum tendendi ad objectum bonum, de quo statim dicemus.

XIV. Solum circa viam malorum Angelorum potest esse difficultas, an præcise fuerint duo instantia totum quod ad eorum viam pertinuit, an plura quam duo: nam ad minus debere esse duo monstratum est. Quod vere sint plura, potest dubitari, tum ex parte ante, tum ex parte post: parte ante, quia aliqui dixerunt in primo creationis instanti Angelos solum habuisse actum puræ naturæ. Unde ex hac parte tenentur addere tertium instans, primum videlicet pro creatione, et actu pure naturali; secundum pro actu supernaturali, in quo sanctificati sunt omnes, et meruerunt; tertium pro peccato per quod illud meritum interrupserunt. Et illud primum instans, scilicet pro actu puræ naturæ positum fuit a quibusdam, qui dixerunt Angelos non fuisse creatos in gratia, ut refert S. Thomas quæst. LXII, c. III, et probabile reputat Scotus in II, dist. V, qu. I. In sententia vero quam citato loco defendit D. Thomas hoc non habet locum, quia omnes fuerunt creati in gratia, juxta illud Augustini XII de civitate, cap. IX: « Angelos cum amore casto, quo illi adhærent creavit, simul in eis condens naturam, et largiens gratiam. » Certe non est putandum minus parce Deum se gessisse cum

Angelis, quam cum hominibus, qui si status innocentiae duraret, nascerentur in originali justitia, et consequenter in gratia, cum potius Angelis connaturalis sit ut quidquid perfectionis juxta suum statum, et mensuram datur, non paulatim, et per acquisitionem, sed a principio detur ut quasi cognatam videantur habere gratiam, non adventitiam. Et hoc in eis etiam superbiendi occasio magna erat, quod omnis perfectio eis videbatur congenita; et sic qui inter ipsos humiliati sunt, magni meriti fuerunt. Quod si illis data est gratia in primo instanti, utique non otiosa fuit, sed cum fructu, et operatione data est, praesertim quia Angeli non fuerunt justificati, sicut parvuli, quia hoc imperfectionis est, sed sicut adulti, et perfecti, et consequenter cum dispositione propria, et actu tunc elicito. In illo ergo primo instanti habuerunt operationem supernaturalem, et non mere naturalem: et sic ratione solius naturalis operationis, non debet distingui illud primum instans.

XV. At vero loquendo de instantibus a parte post, posset aliquis dicere non debere solum durare Angelorum peccantium viam per duo instantia, unum meriti pro primo instanti, aliud peccati pro secundo, quia nulla ratio convincit quod unum tantum peccatum patravissent, sed plura, et consequenter quod plura instantia peccando consumpserint, quia plurimam negationem tunc habuit Angelus juxta illud quod dicitur de illo Ezech. xxviii: *In multitudine negotiationis tuae repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti.* Unde ipse deordinatus a fine ultimo non servavit unitatem, et uniformitatem in suis operationibus, sed maxime illas divisit, et multiplicavit, sicque non fuit amplius mensura durationum angelicarum, ut ponderavimus prae-

cedenti tomo, disp. x. Ergo videtur quod plura instantia Angelus peccando habuerit, et sic non duobus tantum consumpserit viam.

Ad hoc respondetur quod Angeli peccantes non indiguerunt pluribus operationibus ut inflexibiles redderentur in malo, sicut nec in bono, sed per immediatum actum, quem elicuerunt post instans creationis, qui est actus, in quo per voluntatem suam se movent, et non a solo Deo, sed ex imperio voluntatis formant dictamen, et eligunt quasi pleno jure, et seipsum plena electione movendo, hoc ipso redduntur inflexibiles, et posita inflexibilitate non est necessarium protelare viam, quia tamdiu necesse est durare viam, quamdiu est status ambulandi, et mutandi voluntatem: cessante autem statu isto ambulatorio, cessat via; et sic si unico actu redduntur inflexibiles, non est necesse plures alios expectare. Quod autem illo primo actu pleno in quo seipsam voluntas movet, et se eligit, inflexibilis reddatur, manifeste docet S. Thomas in quaestione lxxiii, art. vi ad iii cum inquit, quod: « Angelus habet liberum arbitrium inflexibile post electionem. Et ideo nisi statim post primum instans in quo naturalem motum habuit ad bonum, impedimentum beatitudinis praestitisset, fuisset firmatus in bono. » Et in hac quaestione lxxiv, art. ii docet, quod: « Voluntas Angeli adhæret fixe, et immobiliter; et ideo si consideretur ante adhæSIONEM, potest libere adhærere, et huic, et opposito, in his scilicet quæ non naturaliter vult; sed postquam jam adhæsit, immobiliter adhæret. » Quare cum Angelus post primum instans creationis jam non naturaliter velit, sed deliberate, et deliberatione plena, hoc ipso adhærendo eligit, et per talem electionem immobilitatur, ut latius sequenti articulo dicemus

agendo de obstinatione Angeli. Igitur de necessitate ad terminandam viam sufficit instans, seu operatio Angeli plene facta post primum instans creationis, et statim post primum instans plena operatio Angeli incipit; et sic illa operatio sufficit terminare viam. An vero, licet non de necessitate, tamen ex abundantia, plures operationes Angelus fecerit, et diviserit ante condemnationem suam, incertum est. Nam licet plura fecerit, et plura peccata, seu malitias habuerit, non tamen constat quod plures operationes fecerit, quia omnia illa potuit unica operatione perficere, eo quod ordinabantur omnia sub uno motivo, et fine proximo, et ultimo, quatenus tunc primo averti volebat a supernaturali beneficio, et magnificari in propria cordis elevatione, et vel persuadere id multis, vel defendere contra alios, quia et pugna fuit cum bonis Angelis, et persuasio quæ traxit cauda sua tertiam partem stellarum, sed omnia ista objecta, et effectus potuerunt cadere sub uno adæquato objecto, et motivo, et ita sub eadem operatione, et instanti comprehendi, licet in se materialiter plura fuerint. De quo amplius statim redibit sermo respondendo ad objectiones circa viam bonorum Angelorum.

XVI. Major ergo difficultas est circa viam bonorum Angelorum, an duraverit uno tantum instanti, an pluribus. Nam quod fuerit unicum, licet prolongatum, et æquivalens pluribus illis, quibus mali Angeli divisi sunt, ex eo suadet, quia Angeli sancti in eo discreti sunt a malis, quia boni continuarunt, et perseveraverunt in amore casto, in quo creati sunt, et illud objectum ad quod sunt conversi a Deo in primo instanti etiam tenuerunt, et amaverunt post primum instans quando ex electione sua poterant peccare:

ergo non diviserunt operationem primam in qua creati sunt, sed illam continuarunt, quia circa idem objectum versati sunt: ergo idem instans continuaverunt, quia instans in Angelis duratio operationis est. Nec dici potest quod licet continuaverint meritum, non tamen est necesse quod operationem eandem continuaverint, quia diversis actibus mereri poterant, et circa diversa objecta occupari, quia Angeli in primo instanti creationis illuminati sunt a Deo perfecte circa objecta eis debita, et quæ manifestari oportebat ad suam salutem, quia modus quo petit natura angelica perfici, et illuminari, est non paulatim, et successive, sicut nos, sed statim a principio accipiendocognitionem de his quæ tunc sibi sunt debita pro illo statu; et sic totum quod nos per fidem paulatim proficiendo acquirimus, ipsi simul habuerunt, id est, totum quod necessarium ipsis erat ad justificationem, et salutem, et perfectionem eorum conveniens. Unde cum pro statu viæ fidem habituri essent, eamque explicitam, eandem habuerunt in primo instanti creationis, nec novam explicationem acceperunt in duratione sequenti: sub fide autem continentur omnia objecta circa quorum amorem Angeli mereri poterant. Et ipsa voluntas eorum volendo finem, vult in fine media, sicut in principiis attingit conclusiones. Unde sicut illuminabatur plene per fidem in primo instanti, ita movebatur perfecte voluntas circa finem per charitatem, et circa media ad talem finem per virtutes. Unde non fuit necesse novas operationes, seu actus elicere, aut circa nova objecta occupari ad merendum, sed solum circa eandem perseverare. Et totus hic discursus est S. Thomæ supra quæst. lxxii, art. v, ubi probat Angelum per unum actum charita-

tis ita meruisse beatitudinem, quod post primum actum statim beatus fuit. Quæ doctrina non potest stare nisi Angeli boni continuaverint primum instans, quia eadem operatio mansit, cum ex propria deliberatione post primum instans perseverarunt in eo in quo cœperant: sic enim verificatur quod post unum actum meriti beatificati sunt, quia ille actus primus quo meruerunt, continuatus fuit in eis; et sic solum fuit unus, cum tamen malus Angelus primum actum in quo etiam bonus fuit, interrumpit volendo peccatum.

XVII. Quod vero in bonis Angelis meritum non sic fuerit continuatum, quod idemmet actus quo incœperunt continuatus fuerit, sed diversus, licet circa idem objectum, alio tamen modo propositum, ex eo probatur, quia post instans creationis in quo operatur ut motus a Deo, et non ex propria deliberatione, post istud inquam instans, quod est creationis, incipit Angelus deliberate se movere, et tamquam sui juris plene esse, formando dictamen ex propriæ voluntatis imperio: ergo oportet quod objectum illud aliter proponatur nunc atque antea, et actus similiter voluntatis diversus sit. Patet consequentia, quia ante non erat ille actus cum indifferentia ad bonum, et malum, sicut postea est, nec cum deliberatione, et motione propriæ voluntatis, sicut postea; unde etiam in primo instanti est iudicium illud mutabile, et flexibile, postea non. Quæ omnia non possunt eidem actui convenire, quia non sunt denominationes extrinsecæ, sed intrinsecæ, et ita nisi actus mutetur, et alius eliciatur, non potest hæc variatio dari: ergo debet esse alia operatio, et aliud instans; et sic duobus etiam instantibus constabit via bonorum Angelorum. Et favet etiam D. Thomas in

quæstione LXIII, art. VI ad IV ubi inquit, quod: « Prima operatio fuit omnibus communis, sed in secunda sunt distincti. Et ideo in primo instanti omnes fuerunt boni, sed in secundo fuerunt boni a malis distincti. » Ex quo sic deducitur: Angeli boni sunt distincti, et discreti a malis ante condemnationem, et glorificationem, dum adhuc erant in via, quia adhuc ut viatores habuerunt pugnam inter se boni et mali Angeli, et dum illi merebantur, isti peccabant, sed non fuerunt discreti inter se in primo instanti, in quo omnes communiter boni fuerunt, ut inquit D. Thomas, sed in secundo: ergo adhuc in via fuit secundum instans in nobis Angelis: ergo non unico instanti terminata est.

XVIII. Nihilominus dicendum est, quod licet utraque hæc sententia sit probabilis, videtur tamen probabilior, et sensui D. Thomæ conformior, quod boni Angeli viam suam uno instanti perfecerunt continuato a primo instanti creationis usque ad glorificationem exclusive, licet aliquas accidentales variationes habuerit, quæ non sufficiunt distinguere instantia, sed in eodem compatiuntur. Quod utraque hæc sententia sit probabilis constat, tum ex rationibus pro utraque adductis, et auctoritatibus D. Thomæ, tum quia utraque habet pro se graves auctores, quæ illam probabilem reputant. Nam quod fuerint duo instantia in merito Angelorum, et duplex operatio, tenent Capreolus in II, dist. IV qu. I ad argumenta contra quintam conclusionem Zumel; supra q. LXIII, art. VI, qu. I, conclus. VII; Suarez lib. VI de Angelis, c. III; Molina ad hunc articulum sextum, qu. LXIII, et probabilem reputat Nazarius super eundem articulum, controversia unica, conclusione VIII; Carmelitanum collegium ibidem disp. XII, dub. III, conclus. II. Quod fuerit autem tantum

unum instans, et una operatio meriti, qua Angeli consummati sunt, tenet m. Bagnez super eundem articulum VI, dub. III, conclus. I; Nazarius citata conclusione IX, et Carmelitani Salmanticenses ubi supra conclusione I; Vasquez hic disp. CCXXIX, c. X et alii.

XIX. Ergo autem in hanc secundam sententiam ut propabiliorum inclino, tum propter auctoritatem S. Thomæ expressiorem; tum propter rationem urgentiorem. Auctoritas D. Thomæ præter supra relata arguendo pro ista sententia, constat ex consequentia quadam quam facit D. Thomas dicta quæstione LXIII, art. VI ad III, ubi in corpore articuli inquit quod: « Si diabolus in primo instanti in gratia creatus meruit, statim post primum instans beatitudinem accepisset, nisi impedimentum peccando præstitisset. » Ergo si diabolus post primum instans, si non peccasset, beatitudinem accepisset, Angeli sancti qui non peccaverunt post primum instans, beatitudinem acceperunt: ergo duravit illud primum instans, quousque receperunt beatitudinem. Rursus antequam beatitudinem reciperent, dæmones peccaverunt, quia pugna inter malos, et bonos Angelos fuit ante eorum condemnationem, et consequenter ante glorificationem bonorum, si quidem ex illa pugna Angeli mali de cælo dejecti sunt, Apocalyp. XII, quod est condemnati. Ergo durabat primum instans bonorum Angelorum, dum Angeli mali peccabant, et jam diviserant operationem suam, et instans; et sic instans bonorum Angelorum continuatur, et unicum existens usque ad glorificationem æquivaluit pluribus instantibus malorum Angelorum.

Ratio vero urgentior ea est, quia actus primi instantis, et continuationis post illud instans substantia-

liter fuit idem, licet accidentalem variationem habuerit: ergo non constituit duplex instans, sed idem continuavit. Consequenter patet, quia instantia non distinguuntur in Angelis nisi quando actus substantialiter distinguuntur, ita ut unus cesset, et alius succedat, nec continuari possint. Hoc autem solum potest contingere dupliciter, aut ex necessitate, et propria ratione ipsius operis, quia non habet continuabilitatem cum altero, aut ex voluntate operantis, quia vult dividere actus, et uti inadæquatis rationibus aliquorum objectorum, vel alicujus objecti, cum possit unica adæquata ratione uti, quantum est ex natura actus. Hoc secundo modo est minus decens, et perfectus modus in Angelo, licet absolute possibilis, quia de se magis reducuntur, et colliguntur ad unitatem, idque magis conducit ad angelicam majestatem, ut non pro libito, sed pro necessitate, et ratione actus multiplicent, et oppositum magis est dæmonum qui levitate sua ducti magis propendent ad divisionem, sicut boni Angeli ad unitatem, et magis colliguntur quam disperguntur, et quanto paucioribus actibus res absolvitur, si plures necessarii non sint, tanto magis sacrator, et augustior apparet. Quare licet in dæmonibus non sit inconveniens quod actus multiplicentur pro libito suo, et pro levitate, et mutabilitate cordis, tamen in Angelis sanctis, qui unitati adhæserunt non convenit pœni multiplicationem actuum, et instantium ob solam voluntatem, sed ob necessitatem, et rationem, quæ nobis non innotescit, nisi ex adæquatione actuum. Antecedens autem probatur, quia in illo actu in quo creati sunt Angeli, conversi sunt ad Deum, non solum ex naturali dilectione, et cognitione, sed etiam ex supernaturali, si quidem ibi justificati sunt: